

ACADEMIA POESEOS ITALICA

E. I. P. ITALIA SCHOLA PACIS INSTRUMENTUM

STUDIOSIS CULTORIBUSQUE ET DISCIPULIS

TERTIUM CERTAMEN POESEOS LATINAE VICTORIO TANTUCCI ET SCAEVOLAE MARIOTTI DICATUM PROPONVNT

Te, praeclare linguae Latinae cultor, de certamine, quod praeclara consociatio Academia Poeseos Italica nec non E. I. P. Italia praemium Victorio Tantucci et Scaevolae Mariotti dicatum, patrocinante Libera Universitate Studiorum Maria SS.ma Assumpta, edicere statuerunt, certiozem facere optamus.

Certamen Victorio Tantucci ac Scaevolae Mariotti dicatum apud Liberam Universitatem Studiorum Mariam SS.mam Assumptam magna cum sollemnitate celebrabitur ante diem tertium Kalendas maias, idest diem vigesimum nonum mensis aprilis anni MMXIV, in festivitate Sanctae Catharinae Senensis, Italiae ac Europae patronae, dicata. Certamen linguae Latinae studio latine loquendi scribendique favet; perennes insuper rerum humanarum respicit quaestiones, quae ut antiqua excitaverunt ingenia ad carmina Latine contexenda ita recentiores vel nostrae aetatis poetas continuo sollicitant.

Certamen in duas partes dividitur, quarum prior, Victorio Tantucci dicata, lyceorumque discipulis proponitur. Nam Victorius Tantucci praeclarus illius Latinae linguae ac grammaticae libri auctor fuit, quae sexaginta iam annos vel apud Italos vel apud externas gentes plurimi est ductus.

Hoc Certamen inclusum est a Summo Consilio ad quod publicorum studiorum apud Italiam cura pertinet, in numero quorum victores accedent ad Olympiades Classicarum Linguarum.

Discipulis petitoribus materia ad argumentum subiecta hoc anno est: "De naturae amoenitate ac de institutis ad eam intra regionis tuae fines defendendam"

Petitoribus Certaminis Tantucci haec praemia tribuentur:

qui inter omnes victor evaserit, diplomate et trecentis eurinummis honestabitur;

qui victori proximo discesserit, diplomate et ducentis eurinummis decorabitur;

qui tertio erit praemio dignus, diplomate et centum eurinummis decorabitur;

qui bene meritis erunt, publica laude tantum ornabuntur.

Omnibus discipulis petitoribus concedetur testificatio credito scholastico valida, linguae Latinae cultoribus autem testificatio personali curriculo valida.

Omnibus petitoribus, qui Certamini V. Tantucci interesse cupiant,

haec sunt observanda praecepta:

- poetarum carmina ne minus XX versibus constant neque numerum XL versuum excedant;

- petitor opus suum, machina computatoria scriptum, in ima pagina nomine et cognomine notet; insuper addat domicilium, telefoni numerum, cursum electronicum lyceique titulum.

Unusquisque petitor quinque operis exemplaria mittat intra Idus mensis martii anni MMXIV ad hanc administrationem:

Dies in sigillo cursus publici impressa testimonio erit.

Secretaria Praemii "V. Tantucci – S. Mariotti"

Via Edoardo Maragliano, 26

00151 Roma

Lina Lo Giudice Sergi
Anna Paola Tantucci